DE HYDROVARIO DISSERTATIO AD SUMMOS IN MEDICINAE HONORIS RITE...

Antonio medico Marchi
(medico)

DE HYDROVARIO

Dissertatio

AD

SUMMOS IN MEDICINAE HONORES

RITE CONSEQUENDOS

IN

PERVETUSTA UNIVERSITATE PATAVINA

AB

ANTONIO MARCHI

UTINENSI

PROPOSITA

PATAVII

EX TYP. CRESCINI

1846

DE HYDROVARIO

Inter multifarias mirasque humani organismi functiones quae extensione sua praecaeteris eminet exhalatio est. Haec simplicissima secretio (humores enim exhalationis e sanguine secernuntur) adeo diffusa in corpore cernitur, ut interna haud detur sive externa superficies, nulla cava, sinus, nullus, nulla receptacula habeantur, quae humore aliquo vel vaporis sub forma ut in cutis membranarumque peritonei, pleurae, pericardii, vasorum viscerum, internarum superficie, vel illa sub olei sive pinguedinis quemadmodom in adiposi cellulis textus, vel muci vero inspissati sub illa uti in naribus, vescica, urethra etc., non humectentur. Organica e compage per hanc inutilia quodammodo eliminantur, moderatur partium attritus, organorum facilius expediuntur functiones, externorumque in corpore agentium cohibentur impressiones. Haec vero peculiaris secretio, tanti momenti munus humana fungens in economia dum physiolice opera-

tur quacumque de causa directo aut indirecto exaucta modo, hydropem, varium pro diversis quibus prodit partibus adipiscens nomen, constituit. Interque varia quae hoc adfici possunt organa morbo, ovarium, primae perpetuoque arcanae conservandae speciei operi dicatum, ultimum haud tenet locum. De hydrope itaque ovarii nonnulla ex aliis deprompta atque in unum collecta, ad legibus obtemperandum accademicis, in medio pro viribus proferam. Cum primum ovariorum hydrops certis in lucem sese offert phaenomenis artisque ab aegris postulatur auxilium, morbus plerumque prima sui stadia jamdiu explevít. Hoc vero vel partis adfectae, voluminis, situs functionis: quae ratione, vel obscuritate et fallacia symptomatum, vel animi levitate aut falsa feminarum verecundia evenit. Ex his quique ideo liquebit qua premi debeat practiens in hujus morbi investigatione, suis praesertim incunabulis, difficultate; quae interim jam ab exordio hujus affectionis prodroma suspicari possunt, concomitantia, subjectiva, objetiva phaenomena, quaeque ad causam prognosim therapiamque a clarissimis in arte viris referuntur, brevi sermonem tradam.

DIAGNOSIS

Preturbatae valetudinis incertus valde prae primis et anceps exoritur status; ponderi gravedinis situ moderandae doloris prementis, ardentis saepe redientis accedit sensatio; stupore lateris adfecti corripitur femur motusque difficultate, tumur nonnumquam oedematosus atque dolor ad maleolos usque extenditus; globus hyste-

ricus, menstruorumque anomaliae, mammarum transitorius tumor, dolores trahentes, lancinantes, tendentes haud desiderantur.

His vario decursu imminutis per menses vel adauctis prodromis, alia tandem minus vaga perlustranti sese produnt symptomata. Supra cristam assis pubis lateris adfecti, plerumque sinistri tumor emergit pressione profundiore tangendus, plerumque non dolorificus, hinc inde inaequalis formae diversae, tantum obscure et profundae fluctuans, magnitudine ovi gallinacei aut ultra, ab initio mobilis, qui per vaginam aut anum quoque tangitur, et in feminis, laxa fibra instructis, praesertim, si jam saepius peperere aut prius pingues fuere, ob parietes abdominis lexiore facilius ex uno latere in alterum movetur et sensationem causat, quasi ac corpus frigidum, globosum ex uno caderet in alterum latus. Hanc sensationem aegra etiam percepit sub repentina rotatione trunci, sub versione corporis in lecto, et propterea aegra rarissime sano lateri incumbit.

Tumor lentissime plerumque increscit, dolor obtusus, premens in profundo pelveos continuat majori gradu, saepe dolores lancinantes sese associant, idiosyncrasia, pyrosis, nausea vomitus, aegra interdum infestant. Quo magis adaugetur volumen tumoris, eo difficilius movetur, quum cunei ad instar pelvi sese immergat, simul reliqua pelveos organa pressione loco moventur et forma mutantur. Hoc precipue in utero palam fit. Portio vaginalis situ mutatur, ita ut vagina tumorem versus fundus autem uteri latus oppositum respiciat, ejusque forma in longum distrahatur. Si per vagina explo-

ras, uterum distractum invenis versus latus oppositum, ita, ut fundus uteri dextrorsum tangitur, si ovarium sinistrum hydropicum et vice versa.

Nunquam non uterus in altum tollitur, ita ut digitus explorans eum vix adsequi queat. Per fornicem vaginaes sentis fluctuationem, aeque si per anum explorans, solum obscurius.

Nec parum hic luminis exploratio adfert. Digiti enim apice, juxta celeberrimum P. Frank, sub femine situ nunc erecto, nunc supino in regione ovarii medicus non adeo abdomem percutiat, quam saepius integumenta abdominis intus caute reprimat, bene attendens, num digitus ad corpus durius, elasticum tamen et a peritoneao quidquam remotum allidat. Utique etiam juvabit, feminam per vaginam et imprimis, ubi hymene praesente aut alia quacumque causa prohibetur, per intestinum rectum explorare et digitio cum his canalibus versus tumorem vel ad latera, vel ad anteriora directo, femina nunc genu innixa, nunc in dorso posita, in extensionem tumoris, et in oris uterini positionem inquirere, abdomine per alteram manum, quo loco magis tumet ad flutuationem facilius percipienda concusso.

Eodem ratione, qua tumor increscit, augentur molestiae locales, quae pressione tumoris provocantur, alvi excretio quippe retardata, continuus nisus ad mingendum, urinae excretio molesta, urinae ipse mituntur parum quantitate imminutae crassae et obscure tintae.

Hydrops ovarii, ubi gravidam infestat, plerumqne abortum aut partum praematurum, difficilem causat, et proles justo debilior nec debite evoluta cernitur, quippe

uterus nec ad nonnam extendi, nec satis dilatori queat. Tumor hydropicus ipse durante graviditate in evolutione quidem retinetur, sed partu absoluto majora capit incrementa. Prostant tamen exempla, quod praesente hoc morbo graviditas et partus sine magnis incomodis absolvebantur.

Etiamsi jam magnam abdominis partem expleverit moles ovarii, tamen compassio totius organismi non magna est. Animus quidem dejectus et tristis, adpetitus tamen integer, sitis non aucta, chymosis et chylopoesis, licet tarda, tamen sufficiens, membra nondum emacescunt, secretiones et excretiones praeter notatam tardam alvum et levem dysuriam bene procedunt.

Dum ultro excolitur hydrops ovarii, abdomen omne mirifico modo in ingens extenditur volumen, tumor sit aequabiliter diffusus, ut difficile cognosci queat, an fluidum in cavo abdominis liberum adsit nec ne? Parietes abdominis attenuantur, venae valde expansae reticulatim, sub cute trasparent.

Sensim systema nervorum abdominalium gravius alteratur digestio labefactatur, nutritio omnis pervertitur, viresque exhauriuntur. Hinc multifarii spasmi in abdomine obveniunt, dolores trahentes in regione sacrali, conatum naturae ad partum simulantes, ascensio globi hysterici versus ventriculum, nausea, ructus, praecipue acidorum, vomitus, pyrosis alvi obstipatio spastica, flatulentia, magna dejectio animi in tristia proni, augmentum pressionis in abdominae eaque ac in femore collaterali. Saepe insigniter intumescunt oedemate extremitates inferiores, dum superiores ob emaciationem tenuia reddun-

tur. – Tamen accedit oppressio magna pectoris, et respiratio citata et sublimis, valde anxia, praecipue situ horizontali. Haec symptomata postremo tempore saepe tantum attingunt gradum, ut aegra, nec erecta amplius stare, nec, nisi genubus innixia et corpore antrorsum inclinato spiritum ducere valeat. Mammae tantum initio morbi tumidae, mox fint pendentes, flaccidae, menstrua si fluunt, irregularia et parca, plerumque tamen fluor albus jam primis morbi mensibus sese insinuat.

Serius habitus cachecticus singulari modo enunciatur. Ægra valde debilitata, immobilis decumbit, facies valde pallescit, colorem praesefert chloroticarum, qualis in feminis, quae vitiis organicis sexualium vexantur, plerumque observatur, imo jam saepe ex physiognomia augurari licet, an dyscrasia canceratica subsit hydropi ovariorum, quamvis rapidius tumoris incrementum, et multo major compassio totius corporis hancce opinionem confirmant. Cutis arescit et siccessit, alvus valde tarda, urinae secretio parcissima, dolorifica, imo ischuria aut enuresis reperitur. Urinae sunt crassae, albumine scatentes. Extremitates frigent, horripilationes saepe recurrunt, febris lenta emergit, anasarca, ascites et hydrothorax associantur, et tandem aegra succumbit.

Inter recensita vero symptomata quae proprius ad diagnosim morbi statuendam accedunt sunt sequentia: tumor supra descriptus seduloque indagandus, incessus aegre cum magno licet tumore facilior, cruris plerumque tantum unius, nempe lateris affecti stupor et motus difficilior, digestionis et assimilationis minor turba, urinae non tam parcae, normalibus diu similes, pertinax morbi

duratio et lentus progressus, febris sero accedens, denique dispositio et causae occasionales.

Hunc vero brevi quae hydrovarion ab ascite graviditate ovariorumque ipsorum phtisi discriminant, diagnosimque specialem confirmant superfluum expediri non erit.

Perardua haud raro res est ascitem ob hydrovario, simul praesertim si decurrant, distingui, atque eo difficilior, quo tumor eaqualibis modo expansus adpareat, aegramque indeterminate non nisi de prodromis atque morbi decursu valeat referre. Evenit aliquando ut paracentheseos ope tantum solvi dubia queant. In pluribus tamen casibus omnibus characteribus distinctivis rite perpensis, diagnosis patet. Praesertim ergo explorandum, quales influxus, aegram infestabant, num fluctuntio sit obscura, nec ne? num tumor sub vario corporis motu et situ eandem formam et situm retineat, digestio et assimilatio parum turbatae sint, urinae parum imminutae, obscure tinctae, an aegra habitum cachecticum diu non induat, usus diurecticorum ut purgantium sit frustraneus, morbus lentius decurrat.

Cognoscitur autem hydrovarium, graviditatem mentiens loco, quo tumor primo exsurgit, situ et forma uteri et vaginae, quod tumor abdominis nec tam cito, nec tam regulari modo increscant, tandem, ubi portionis vaginalis uteri, ejusque orificii similis sit mutatio, sicuti in gravida, haec lentius nec aequali ratione cum tumore abdominis, nec tanto gradu ut in graviditate contingit. Tumor mammarum, etsi initio exsurgat, brevi iterum remittit et abdomine ad ingentem molem extenso mam-

mae laxae et pendulae observatur. Tandem lentior morbi decursus graviditatis suspicionem imminuit, ad quem medicus imprimis attendat, ne morbus ipsum graviditate extrauterina decipiat. Simul probe respiciat, num dolor forsan vehementior adsit, aut signa quaedam, quae graviditatem extrauterinam aeque ac uterinam distinguunt.

An phthisis ovarivm adsit, an hydrovarion, nisi ex causis augurari licet, tantum ex febri hectica dijudicari potest, quae licet tumore non valde extenso aegram colliquationibus depascitur.

CAUSAE

Ante pubertatem non occurrit, nec non usque ad quadragesimum annum raro observatur, plerumque tempore involutionis quo catamenia cessant, enascitur, in primis in feminis, menstruorum irregularitate aut fluore albo vexatis in sterilibus aut, que amplexus virorum despernunt, aut justo frequentius admittunt. Feminae fertiles rarissime, numerosis partibus vero debilitate sepius hydrope ovarii capiuntur. Ovarium autem sinistrum saepius arripitur dextro.

Inter excitantes causas congestio omnis sanguinis, praecipue cum charactere erethico, nec non inflammatio chronica genitalium internorum et praecipue ovarii omnium primum tenent locum. Hinc elucet, quomodo omnes influxus, qui organa genitalia irritant, et sanguinis confluxum illuc derivant, hydrovario ansam dare possint. Huc pertinent lectitatione fabularum Romanensium, fre-

quentatione theatrorum et saltationum aut consortio lascivo excitata phantasia libidinosa, ideae voluptuosae, coitus nimis frequenter celebratus, forsitan amplexus virorum fluentibus catameniis, aut scelus onaniae turpidum. Non minus etiam stimulus sexualis alacrior, quin ipsi satisfiat, huic morbo generando par est. Hinc meritrius et vingines vestales sec. Sprengel prae aliis hocce morbo laborare dicuntur.

Gestatio ponderum graviorum, partus difficilis, lapsus, ictus, concussio vehemens partim commotione ovariorum, partim congestione et inflammatione subsequente abnormi reproductioni eorum favere possunt, quemadmodum metastoses febri purperali, diarrhoeae suppressione, metrorrhagiae, catameniorum aut lochiorum retentione provocatae.

Fons uberrimus hydropis ovarii praeterea sunt diverse, pseudomorphoses, uti induratio, sarcoma, carcinoma quae circulatione quoque inhibita sanguinis et resorptionis processu prostrato accumulationi seri opitulari possunt, ut etiam pseudomorphosibus uteri saepe associatur hydrovarion. Reticeri autem non debet, dictae pseudomorphoses etiam ulteriori hydrovarii decursu evolvi.

Summam autem attentionem meretur cystarum formatio, quum ad maximam partem hydrovarii essentiam sistant; earum tamen evolutionem et formam serius commemorabo.

PROGNOSIS ET EXITUS.

Hydrovarion, morbus plerumque chronicus lentissimeque procedens, naturae raro viribus sanatur, parumque possunt artis auxilia. In hoc morbo vix unquam fausta est dicenda, curaque radicalis admodum difficilis, quamvis hoc malum inter cito necantia referri non possit. Bonum sit signum, si aegra adhuc de paucis conqueritur gravaminibus localibus, si tumor non tuberosus sed aequalis et exiguus, non dolorificus, nec induratus tangitur, fluctuatio autem manifestior, et liquidum per paracenthesin forsan emissum minus sit alienatum, si aegra vegeta sub justo regimine et tractamine medico versatur. Infelicem autem aegre praedices sortem, quodsi tumor ingens, aut facile dolens valde obscure fluctuet, superficiem vero inaequalem nodosam offerat, et liquidum parecenthesi facta eductum purulentam aut ichorosam referat indolem, si habitus cacheticus insignis mox provocetur, quae omnia generationis malignae, praesentiam augurant.

Actum vero dius esse de aegra, si eam vexant febris lenta, hydrops universalis, si vomitus et asthma saepe recurrunt. – Non semper feminae, hoc malo laborantes steriles fiunt. Quod si vero concipiunt, plerumque sequitur abortus, aut saltem partus difficilis, quia tumore uterus in situm obliquum cogitur, comprimiturque.

Natura vero sacci hydropici evacuatione patrasse sequentibus novimus modis.

1. Ruptura hydrovarii contenta per tubam Falopii in utero et inde foras effluxisse visa sunt, et nova productione limpidi non amplius contingente aegra sanata fuit. Quod tantum concretione marginis fimbriati cum ovario fieri potuit; simul dilatatio tubarum requiritur. Percival exemplum adfert, ubi vomitu spontaneo vigintiquattuor pintae seri ejiciebantur, et morbus tollebatur.

2. Concussione valida abdominis, sternutatione, risu, vomitu, lapsu etiam saccus hydropicus rumpi potest, ast sequela valde variat. Plerumque ingens liquidi acrioris moles repente viscera obruit et vita intra paucas horas extinguitur. Quodsi contentum mitiorem praesefert indolem, resorptionis processu in cavo abdominis adaucto, resorberi et ex corpore excerni potest; et ovarii contingente cicatrisatione nova hydropis produtio inhiberi. Plerumque vero, ubi tumor in salutem aegrae dehiscat, cicatrice formata nova liquidi moles in sacco colligitur, et scena rupturae et novae collectionis saepius repetitur.

3. Tandem tumoris effusio etiam per parietes abdominalis observari licuit. Inflammatione nempe serpente saccus hydropicus adcrescit laminae parietali peritonaei, et supurationis processu, plerumque sepius repetita paracenthesi sed et sponte enato, abdomen perforatur, et liquidum effertur. Raro tamen hoc modo sanatio contigitur; imo ulcerationis processu longe lateque serpente aegra citius traditur arco.

4. Plerumque tamen hydrovarior lente increscit cachexia sensim producitur, hydrops ascitis, hy-

drothorax et anasarca associatur, et consumptis viribus aegram supremum subit diem, hinc inde cito soffocatione ex vivis tollitur.

THERAPIA.

Causas amovere liquidum naturalibus collectum aut artificialibus eliminare viis ulterioremque precavere acumulatione, gravia laenire symptomata therapiae est. Cum fere in omni casu congestio subsit, eam ante omnis reprimere oportet, et omnia amovere, quae sanguifluxum ad hec organon movent. Itaque aegra abstineat ab omni stimulo sexualium si diarrhoea suppressa aut menstrua aut lochia retenta fuerint, iterum provocanda sunt. Caeterum methodus antiphlogistica, hirudines, scarificationes balnea, potus emollientes et in primis mercurialia interne et externe adhibita optime conducunt; ubi vero ovarii degenerationi carcinoma aut subest, aut una cum hydrope inflammationis chronice progeniem sistit, remedia solventia, praesertim mercurialia, gummi ammoniacum, sapo et similia experientia confirmatam emeliorationem pollicentur.

Quemadmodum autem, liquidum collectum naturalibus educi non semper drasticis, diapnoicis vel diureticis possit, sed tali pacto, aegra dissolvatur potius quam tumor idcirco ab harum usu, nisi proficua jam a primis se exhibeant, abstinendum est, ne minus assimilationis, et nutritionis processus permutantur. Magna attentione vero digna est observatio celeberimi *Percival*, quod vomitus sponte exorto hydrovarium sanatum

fuerit, quae observatio ad usum emeticorum sub morbi initio invitat. Conclusione per vomitum facta hinc inde sperare licet, fore, ut partim tremula gelatina fluidior et ad resorptionem aptior fiat, partim actio vasorum limphaticorum novum inde stimulum hauriat, aut fluidum insolito tramite per tubam Fallopii in uterum et inde foras evacuetur.

Quum pharmacorum usus raro optato coronetur effectu, restat adhuc manu chirurgica vias pandere liquido collecto. Sed et paracentesis saepe penitus prohibetur, et semper difficultatibus premitur, et periculo plena est. Itaque chirurgus operatione tum tanto instituat, ubi fluctuatio manifesta percepitur, et tumor notabilis nullas inaequitates offert, nec dolet, tandem ubi gravamina respirationis magna suffocatione minitantur. Paracenthesi autem finis optatus haud attingitur, imo noxa paratur, si liquidum in pluribus inter se disceptis cellulis continetur, exinde pro parte tantum evacuari potest, porro si cystis formata incrassata, scirrhosa aut in interna plaga exulcerata est, paracenthesi non raro inflammatio, quae gangraenam et mortem pedisequam habere potest, excitatur. Neque satis. Ubi nimirum ovarium hydropicum cum partibus vicinis, utero, omento et aliis concretum, chirurgus in periculo versatur, ne haec viscera laedat, aut si liquidum est indolis spissioris aut puriformis, sed canulum tricuspidis effluere nequeat ultra, si tumor in loco punctionis cum peritonaeo non coaluit, facile quidpiam contenti in cavum abdominis effluere et hinc inflammationem malignam progigneri volet. Nec non fieri potest, quod chirurgus vasa

sanguifera, quae in varicae exstensa tumoris superficiem perreptant, cum tricuspide laedat, et sic periculosum sanguifluxum adducat. Etiam nonnulli observasse contendunt, saepius repetita punctionem alacriorem fieri liquidi accumulationem, et serum collectum citius induere indolem purulentam aut ichorosam, itaque diem supremum multo prius provocari.

Quibus intelligis, paracenthesin cautissime esse adhibendam, ne vita aegrae nimis periclitantur. Prostant vero exempla, punctionem iteratis vicibus in una eademque aegra ad morbi levamen optimo cum effectu institutam fuisse. *Hunter* foemine memorat, in qua paracenthesis ovarii hydropici octagosies facta fuit.

Effectus parecentheseos imprimis justo regimine dietetico adjuvetur, omnes secretiones haerentes expediantur, alvusque plerumque tarda clysmatibus et remediis eccoproticis promovenda. Malo autem provecto vires in diem labentes et habitus cacheticus remediis roborantibus corrigatur.

Paracenthesi liquidum contentum quidem pro maxima parte exsterminatur, ejus autem regeneratio rarissimi inhibetur, saepe celerior accumulatio observatur. Ad focum secretionis morbosae extinguendum, et ad curam radicalem inducendam chirurgi diversos methodos statuerunt. Nonnulli suadent, ut canula ipsa, aut melius, tabulus elasticus relinquatur in vulnere, qua ratione praecaveatur liquidi effusio in cavum abdominis, continua vero irritationem producat, quo peritonaeum cum sacco hydropico coalescit, porro continua sit sacci depletio, et parietes illius contrahi et invicem coale-

scere possunt. Ast tali methodo evacuatio sacci hydropici plerumque imperfecto contingit, dum aër atmosfericus per foramen intrans seri retenti mutationem in liquido ichoroso inducit. *Le-Dran* vulnus a tricuspide factum per incisionem dilatat. Integumenta nempe abdominis, et saccum ipsum hydropicum ad quatuor aut quinque inscindit pollices, vulnus apertum tenet, et linteo carpto vulneri immisso saccum autem suppurationem penitus destruere, aut parietes ejus coalescere cogit. In inflammationem et suppurationem sustinendam, etiam injectiones in saccum evacuatum factae sunt.

Verum vero manus audax chirurgis etiam exstirpationem ovariis degenerati perpetravit, et in casibus paucis cum salute aegrae. Semper tamen dubbia est et periculosa. Quapropter tum tantum erit instituenda, ubi exactam hydrovarii diagnosin statuere licet, aegra adhuc bene viget, tumoris mobilitas perfecta patet, si magna vitae gravamina aut soffocationis metus, aegram vexat, porro ubi nullae adsunt complicationes, aut minus periculosae.

Tandem indicatio symptomatica imprimis urinae et alvi excretionem promovere, oedema pedum et genitalium abigere, dolores mitigare, respirationis et expectorationis gravamina lenire, decubitum praecavere, et febrem depascentem moderare secundum regulas generales therapeuticas intendat.

THESES DEFENDENDAE

I.

Medicinae phases illis philosophiae nituntur.

II.

Hydrops, organicus dumodo non sit, contraria evinci potest methodo.

III.

Nimia sanguinis eductio non raro in hydropis causa est.

IV.

Exhalactionis functio ad secretionis referenda.

V.

Morbi quotquot sunt organici.

VI.

Morbis aliquoties est remedium.

VII.

Helminthiasis morbum non constituit sed morbi effectum.

VIII.

Naturae vis medicatrix haud differt a vi vitali.

IX.

Medicinae perfectio artis semper erit in votis.

X.

Anatomes pathologica certum morborum non semper sistit naturae fundamentum.

XI.

Cordis functiones a ganglionico pendent systematae.